Discalceatorum S. Augustini Hispaniarum Electionis Vicarij Generalis.

Em.^me ac Reu.^me Dñe. CVm de mense Octobris 1692. ab humanis decessisset Reuerendus Fr. Michael à Sancto Augustino Vicarius Generalis Congregationis Augustinianorum Discalceatorum Hispaniarum, Reuerendus Pater Fr. Simon à Sancto Augustino tunc temporis Visitator dictarum Prouinciarum, assumptis sigillis, & administratione vniuersæ Congregationis, quæ secundùm Constitutiones Apostolicâ authoritate roboratas, de quibus *præsenti Summario num.* 1. deuoluebatur ad Vicarium absolutum, & in eius defectum ad Prouincialem loci, in quo defunctus fuisset Vicarius, in regimen sese intrusit; Et licèt secundùm easdem Constitutiones coadunari debuisset Capitulum pro electione Vicarij de mense Iunij subsecuti Visitator nec Capitulum indici, nec Comitia coadunari, vt par erat, fecit.

Ad se confouendum in vsurpato gubernio, curauit idem Pater Fr. Simon, mediante opera Reu. Fratris Ioannis à Sancto Iosepho asserti Procuratoris Generalis, supplices preces porrigi huic Sacræ Congregationi, petens, vt attenta pendentia Visitationis ipse Pater Fr. Simon manuteneretur in gubernio -- *nè si possa*. (sunt verba conclusiua supplicationis, de qua *præsenti Summario num.* 2.) *celebrare detto Capitolo, nè trattare di nuoua elettione di Superiore durante la Visita, e fin à tanto che quella non sarà compita, ed accettata dalla detta Congregatione, e confermata dalla Sede Apostolica.*

Huic autem supplicationi repugnantibus Constitutionibus Apostolicis, & nostræ Congregationis, EE.PP. non esse annuendum censuerunt, iniungendo, vt quoad electionem Patris Vicarij Generalis seruarentur disposita in Bulla sanctæ memoriæ Vrbani Octaui, firma solùm facultate visitandi, vt *dicto Summario num.* 2. *in fine*.

A Fru-

Frustratis spe perpetuò continuandi in regimine tàm dicto Patre Fr. Simone, quàm Reu. P. asserto Procuratore Generali alia tentata est via ad intentum obtinendi; scilicet deputationem eiusdem Patris Simonis in Vicarium Generalem per Breue; hinc idem Pater assertus Procurator Generalis repetendo figuratos abusus in nostra Congregatione, & quod dictus Pater Fr. Simon Visitator Venerabilis Prouincias reformasset, ac quod si sequeretur electio Vicarij in Capitulo dictus Fr. Simon excluderetur à Vicariatu, quodque nullus alius adesset paris Zeli, & Virtutis, preces porrexit Sanctissimo, vt dignaretur per Breue illum deputare in Vicarium Generalem, vt *Summario num. 3.* Et ijs remissis huic Sacræ Congregationi, auditoque Eminentissimo Protectore, qui retulit, vt *in præsenti Summario num. 4.* emanauit Breue, quod datur *præsenti Summario num. 5.*

Ignaræ Prouinciæ premissorum cum imminente coadunatione Capituli Generalis in proximo futuro Paschate Pentecostes fuissent certioratæ de prædicto Breui obtento, iusto Zelo, pro obseruantia suarum Constitutionum, & libertatis Comitiorum, & ex insubsistentibus narrationibus factis sine eorum consensu per dictum assertum Procuratorem Gener. cōmoti alias preces porrexerunt Sanctissimo continentes obreptiones, & subreptiones antedicti Breuis, supplicantes, vt eò non obstante, dignaretur demandare coadunationem Comitiorum, & electionem Vicarij Generalis, cumque placuerit Sanctitati Suæ examen remittere ad hanc Sacram Congregationem, deputato Eminentissimo D. meo Ponente in proxima Congregatione, speramus resoluendum *Electionem Vicarij faciendam esse non obstante Breui prædicto.*

Sanè ex Constitutionibus Ordinis, & Bullis Gregorij XV., & Vrbani VIII., de quibus *præsenti Summario num. 6. & 7.* electio Vicarij facienda est de sexennio in sexennium à Capitulo Generali, quæ Constitutiones habent clausulas, & decreta irritantia in contrarium; exindè fit, quod licèt nefas sit dubitare de potestate Summi Pontificis preueniendi electiones inferiorum, & præiudicandi Iuri eligentium, nihilominùs id procedere potest quando ille fuit plenè informatus, proùt in casu nostro non fuit, de contrarijs resistentibus, præsertim si agatur de Constitutionibus Apostolicis,

vt

vt in noſtris præciſis terminis *Roman. conſ.* 127. *per totum*, *Rot. deciſ.* 148. *num.* 14. *par.* 19. *rec. & paſſim*.

Nec ſolùm de reſiſtentia Conſtitutionum noſtræ Congregationis, & Bullarum Apoſtolicarum circa tempus, & modum electionis faciendæ certiorandus erat Summus Pontifex, ſed etiam de alia Conſtitutione Ordinis prohibente Procuratori Generali impetrare gratias Apoſtolicas circa regimen Congregationis ſine conſenſu Diffinitorij Generalis, vt *præſenti Summario num.* 8. cum tot requirantur derogationes, quot ſunt obſtacula *Bart. in l. fin. num.* 1. *Cod. de can frum. lib.* 11. *de Luca de fideicom. diſc.* 265. *num.* 5. *Rota deciſ.* 148. *num.* 3. *& ſeq. par.* 19. *recent.* hoc autem conſultò omiſſum fuiſſe credendum eſt, quia Diffinitorium nunquàm quoad hoc fuit coadunatum, nec vllum conſenſum præſtitit; Potiſſimum autem reflectendo, quod ſi id Papæ innotuiſſet, non reſcripſiſſet ſoli inſtantiæ Procuratoris Generalis.

Et quod valdè notandum eſt eadem Conſtitutio circa conſenſum Diffinitorij Generalis ad ſui obſeruantiam iuramento adſtringit Procuratorem Generalem, vt *dicto Summario num.* 8., ideoque dignoſci nequit quonam pacto, & tuta conſcientia potuerit aſſertus Procurator Generalis inſtare pro Breui ſine conſenſu Diffinitorij, cùm non fuerit immunis à periurio, de quo ſi Summus Pontifex fuiſſet informatus, petentem reieciſſet, proùt à limine iudicij reijciuntur Periuri, *Feliu. in cap. Conſtitut. num.* 14. *de reſcript.*, *Duran. deciſ.* 5. *num.* 8., & in puncto *Rot. dicta deciſ.* 148. *num.* 15. *d. par.* 19. *rec.* ex gratia viden.

Addito, quod minus legitimè dictus P. Ioannes à S. Ioſepho induit perſonam Procuratoris Generalis, quia ex Conſtitutionibus tale officium non excedit triennió, ipſeque à multis triennijs in eo ſe confouet contra voluntatem Congregationis, quæ in Capitulo intermedio celebrató de anno 1691. elegit in Procuratorem Generalem P. Mattheum ab Incarnatione non minoris Virtutis, & Zeli, qui tamen hucuſque impeditus fuit ad Vrbem accedere ad munus ſuum obeundum.

Omiſſa paritèr fuit narratio Summi Pontifici, quod ex Breui ſan. mem. Alexandri VII. electió paſſiua ad Vicariatum

Generalem alternanda est inter quatuor Prouincias nostræ Congregationis, Castellæ scilicet, Aragoniæ, Bethicæ, & Indiarum, iuri autem passiuo, præsertim promanante ex Bulla Apostolica, cum clausulis, & decretis irritantibus, vt *Summar. num. 9.* specificè derogandum erat.

Non obstante, quod pro futuro sexennio ius passiuæ alternationis spectaret ad Prouinciam Indiarum, ex quibus nullus adhuc Religiosus habilis ad Vicariatum transfretauerat, quia cum à tempore emanati Breuis, vsque ad diem celebrandorum Comitiorum expectandi essent septem menses, dici nequit ius dictæ Prouinciæ non obstitisse, neque obstare impetrationi dicti Breuis, cum Papa nullius ius lædere præsumatur, nisi expresse disponat, *Adden. ad decis. 90. num. 147. part. 9. recent. Bich. decis. 302. num. 7.* & passim.

Potissimùm, quia maxima confusio in dicta Congregatione orietur ex præfata violatione alternatiuæ, cum enim deputatus per Breue sit ex Prouincia Castellæ, quæ successura est in futuro sexennio loco Prouinciæ Indicæ, elapso tempore dicti sexennij, iure meritò poterit eadem Prouincia Castellæ alternationem passiuam prætendere, vtpotè per gratiam Apostolicam minimè consumptam, in quo nemo non videt, quanta futura sit confusio, & quot lites inter Prouincias, cæteroquin solum zelo, & religiosis virtutibus æmulantes.

Tandem (& hoc maximè augit vniuersos Religiosos nostræ Congregationis) narratum fuit Papæ antiquam Regularem obseruantiam defecisse, & nullum alium adesse Regularem pro eius restitutione, nisi dictum Patrem Simonem: res sanè Breui Apostolico firmata per vniuersas Prouincias ituro in perpetuum dedecus Congregationis toti Nationi, & Curiæ acceptæ vertetur; In hoc autem quanta bona fide se gesserit dictus assertus Pater Procurator Generalis, qui id suo iuramento testari ausus est, dignoscat prudentia Eminentissimorum PP. reflectentium ad motiua supra narrata: cum cæteroquin huic Parti sufficiat deducere, quod dictum solius Procuratoris asserti, cui constitutio resistit, non sufficit, supplicantes recognosci acta Visitationum antecedentium Prouinciæ Aragoniæ factæ scilicet per P. Fr. Io-

Iosephum de Spiritu Sancto, & Visitationis Prouinciarum Castellæ, & Bethicæ factæ per dictum Fratrem Simonem de Sancto Augustino; Exindè enim detegetur, an Prouinciæ lapsæ sint ab antiquis moribus, & obseruato, quod Congregatio adeò accepta est Serenissimo Catholico Regi, vt anno nuper elapso ad Episcopatum de Alguer ipse dignatus fuerit nominare vnum ex Regularibus nostræ Congregationis, quod non contigisset si Congregatio à suo Instituto defecisset.

Insubsistentior est altera pars narratiuæ, quod nullus in tota Congregatione reperiri possit aptior Reformator dicto P. Simone; Hæc enim expressio fundatur in assertione dicti Procuratoris Generalis, & in Visitatione duarum Prouinciarum facta per dictum Patrem, & in hoc vltimo expositio sibimet contradicit; Si enim Visitator adeò laudabiliter se gessit, & Prouincias reformauit, quonam pacto tota Congregatio dici potest lapsa, & non habere alium Regularem aptum ad gubernium cum deesse non debeant Regulares reformati, & ad rigorem antiquæ Regulæ reducti ex zelo dicti Patris Visitatoris, obseruando, quod in Memoriali porrecto Sanctissimo fuit expositum, quod vniuersæ Prouinciæ visitatæ redactæ erant in statu reformationis, *dicto Summario numero 3. litt. A.* & solùm reformatio facienda erat de Vicario Generali, qui cum esset tunc temporis defunctus, nihil remanebat reformabile.

Imò in contrarium vrget considerabilis Religiosorum numerus non solùm in Prouincia Castellæ, sed etiam in alijs Prouincijs Hispaniarum, quorum datur in notula *præsenti Summario num.* 10. & eorum magna pars tam ex muneribus in Religione exercitis, quàm ex ætate, & moribus detegitur in nihilo inferior, vt modestè loquamur, dicto Patre Simone; Cessante autem ratione ex qua Papa fuit motus ad disponendum, vrget voluntas eiusdem in contrarium, *Dec. cons.* 168. *num.* 3. *Lotther. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 54. vbi in terminis fortioribus Motus proprij, & passim.

Et si fortasse dicatur Vicarium Generalem eligendum fuisse ex Prouincia Castellę succedentis Prouinciæ Indiarum non venientis iuxta regulas alternatiuæ; obiectum facili negocio remouebitur, tam ex eo quod in eadem Prouincia Castellæ

ftellæ numerantur quamplurimi Regulares per munera, & onera Religionis consumati, *vt Summario num.* 10. quàm etiam ex eo, quia dùm deputatio Vicarij fiebat à Sanctissimo Domino Nostro pro bono vniuersæ Congregationis non erat limitata eius facultas ab hoc, vel ab illo Regulari, & multò minùs erat coarctanda ab asserto Procuratore Generali nominante vnum tantùm inter sexcentos Regulares.

Ex prædictis clarè dignoscitur obreptio, & subreptio Breuis, de quo agitur, quodque eo non obstante demandanda sit electio Vicarij Generalis libertati Religiosorum, qui in pietate, & Religione consummati, non omittent consulere bono Congregationis, & secundùm Deum eligere sibi Superiorem, prout Regulæ Ordinis, & Apostolicæ Constitutiones disponunt, & sufficere poterit P. Simoni Aduersario in regimine se confouisse per tantũ tempus prorogatis tacitè, sine vlla facultate, & cõtra Regulas Cõgregationis Apostolica auctoritate confirmatas, Comitijs, in quo quantum elucere possit zelus suæ reformationis narratæ Sanctissimo, parum est elaborandum si apertis legibus id prohibentibus publicè, & palàm videmus contrauenisse.

Quare &c.

Philippus Albinus.

SAC. CONGREGATIONE

Epiſcoporum, & Regularium

Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Card.

CARPINEO

PRAEFECTO

PONENTE

Diſcalceatorum S. Auguſtini Hiſpaniarum Electionis Vicarij Generalis.

PRO

RR. PP. Prouinciarum Hiſpaniæ, & Indiarum.

CONTRA

R. P. Simonem à S. Auguſtino, & P. Ioannem à S. Ioſepho aſs. Procuratorem Generalem.

Facti.
